



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Lib. XII. Asinus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

# JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIRER XII.

DE IIS QUÆ PER ASINUM, MULUM, ET  
CAMELUM SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD PETRUM CURSIUM ROMANUM CIVEM.

**B** E forte Commentaria ea, Petre Cur si lepidissime, qua multa adeo nudiustertius Cysorio in jugo tuo, ubi bona pars Academia cœnabamus, à veteribus tam Ægyptiis, quam Græcis, atque etiam Latinis, super Asini significationis tradita commemoraverim, cura pretium fore duxi, quantum sollicitudine præstare potui, primo quoque tempore pleniori obsequio tibi satisfacere. Videbaris enim illa, quod facile animadverti, attentioribus admodum auribus haurire & avidiuscule, ut ita dicam, deglutire: sed vix adduci poteras, scriptores illos veteres in Asino perscrutando fuisse adeo curiosos: & quoniam umbra etiam ejus in vanissimi negotii proverbium cesserat, reliquum etiam corpus parvipendendum existimabas. Collegi igitur tam ea, qua tum memoriter disserueram, quam qua alias sparsim à me fuerunt care super adnotata, eorum citatis testimoniis, qui talia memoria prodidere, ubi tantum res deponere videbatur: nam minus omnia tunc ex tempore dicere aggresso succurrebant. Quare tunc non pauca prætermissa sunt, qua recitata longe majori tibi admirationi futura fuerant, qua quidem nunc qualitercumq; à me conscripta sint, benigne accipias velim. Et si minus tibi lucubratio ipsa satisfecerit, ut qua nimium propeستا non ita omnia completi potuerit, voluntatem tamen animus, meum existimes, quantum in mi fuit, tibi amico tam veteri, tam probo, satis plurimum facere studuisse: non enim recens me a erga doctrinam & ingenium tuum benevolentia, firmaque atque constans amicitia, qua ab ipso primum die, quo Romam diu potria cariturus applicui, cœpta, mirificum in dies accepit incrementum: accessit & tam unanime concorsque contubernium, conviviumque per annos aliquot jucundissimum. Ita ego pluribus atque iis non levibus de causis tibi semper conjunctissimus, scripta cogitationes, que meas communicare tecum maxime conveniens existimavi quod optimi integerrimique amici, qualis es tu, ut meliores ex adamus in causa sunt, si quid admoneant, vel, ut alacriores ad lucubrandum accedamus efficiunt, si probent. Sedenim quid oneris gerat Asinus inspiciamus.

## IGNARUS HOMINUMQUE LORUMQUE.

CAP. I.

**C**um primis autem rerum omnium ignarus per Afelli cipitem hominem ab Ægyptiis sacerdotibus significati, & Horus & pleriq; alii prodidere, eamq; imperitiam in eo præcipue notari volebant, qua plurimum ex solitaria accedit educatione: quippe cum quis tamquam Aglaus alter, inter privatos parietes semper alitus & educatus, pedem è domo, vel è patria numquam tulisset foras, oportere scilicet hunc parum experientem esse, & officiorum hospitalium inscium. Israel itaque diu apud Ægyptios educatus, & hieroglyphicam optime peritus, cum Isacharem filium suum Asinum appellasset, intra terminos eum occubitorum dixit. Non enim longius peregrinari solent Asini, ut Equi, & Muli, sed intra provinciam, in qua nati sunt.



Homo Ascliceps quid denotaret. Idem usurpatur à Galis, Italis, Hispanis.

S 2

pluri-

plurimum contineri. Addidere etiam proverbium in imperitos, *Asinus ad lyram*: quod non admodum ab simile est ab Horatiano illo, *ut qui narraret Asello fabellam surdo*, hoc est, obitupefactio, quicquid nullum ex ea re sensum perciperet. Ideoq; Cicero in Pisonem: *Quid nunc te, Asine, literas doceam, non opus est verbis, sed fustibus*. A deo enim subjecti addictiq; fustibus sunt Asini, ut vulgus passim verbera plagasq; flagris inflictas, Asiniatas vocitet. Hanc sane mentis tarditatem Scipio apud Numantiam ita C. Metello exprobravit, ut diceret, *si quintu pareret mater ejus, Asinum fuisse parituram*. Quin & Junius Bassus homo dicacissimus, vulgo Asinus appellatus, ob stuporem ridiculosq; mores. Ob hujusmodi ludibrium, & ignavia contemptum, qui pilæ ludo vicus esset, Asinus appellabatur: qui vero vicisset, Rex: quem morem tangit Plato, in Theæteto, & lib. 9. Pollux. Ad hoc respexit etiam Horatius, cum epistola ad Mæcenatem scribit: *At pueri ludentes, Rex eris, ajunt si recte facies*. Contra vero quod ad peregrinationem attinet, Ulysem, quem Homerus ea præcipue de causa sapientem, effectum putat, quod is

Πολύων ἀνθρώπων ἰδὲν ἄστα, καὶ νόον ἔγνω.

Ulyssis nomen unde.

quique, ut ait Horatius, *Quid virtus & quid sapientia possit, utile nobis propositum est exemplar*: nomen ipsum inquam Ulysem etymologice quidam haudquaquam ignobiles scriptores interpretantur Ὀδυσσεύς, ἄσινος, omnium quippe hospitem: nam Æoles, quod alii verterunt ὀδοσεύς, λ, literam quam amant, incolumem retinuerunt, eosq; Latini secuti sunt, Ulysem enunciantes. Neq; tamen sum nescius, scarrum ejus patrem aliam nominis afferre causam, Odysea, quæ nihil quicquam est nunc ad commemorandum necessaria. Asinus porro in fabulis pro imperitissima persona ponitur, & in argumento fatalitatis atq; dementiae semper habetur, in quem demum, ut Plotinus innuere videtur, ille redit, qui sensus expers, brutalem & stolidam vitam vixerit. Quocirca Ulysses apud Gryllum Plutarchum, cum bruta reliqua ratione aliqua uti fateatur, Asinum tantum ac pecudem ab omni rationis usu semotus reperit. Neque quidem inficiatur Gryllus, sed plures inter homines ejusmodi ingenio præditos confidenter asseverat. Hujus non immemor stoliditatis Ovidius, Midam, quod sententia sua rusticam Penos cantilenam divinæ Apollinis modulationi præferendam judicaverit, ea pœna multatum a Deo finxit, ut quæ judicio peccaverant humanæ aures, in Asini auriculas demutarentur. Interpretes tamen Aristophanis, Pluto, ut hæc quoq; repetamus, tres memorat causas cur Midas Asinis auribus fuisse prædicetur, sive quod acutissimi esset auditus, cuiusmodi sunt Asini, quos præter Mures cæteris animalibus auditu præstare tradunt: ita enim interpret ille, quisquis is est, scribit, ἡ ἑπειὸν ὄν μαθητῶν ἄλλων ὧν ἀκούει πᾶσι μὲν. Hinc Apuleianus Asinus de se ait: *Recreabar quod a auribus grandissimis præditus cuncta longule etiam distita sentiebam*: sive quod Phrygiæ pagum incoleret, cui nomen ὄνυ ὠτα, *Auricula asinina*, sive quod exploratoribus accuratissime sit usus, delatoribusque plurimum delectaretur: unde illud de principibus fertur, *Regum aures immura*.

PETULANTIA. CAP. II.

Immodicam vero petulantiam luxuriam per animal hoc in Divinis literis notari, indicio est, quod celeberrimus ille Propheta ait: *Quorum carnes sunt, ut carnes Asinorum*. Et Plato dum antiquorum signimenta sequitur, ne sacratoris illius doctrinæ, quam apud Ægyptios perceperat, arcana propagaret, hæc non incuriose tractavit, ac de aliis quidem animalibus passim multa, de Asino vero hoc præcipue dixit, disputante apud Phædonem Socrate: *Homines, qui fædis concupiscentiis manus di dissenti, ventrig, dediti per inertiam atq; lasciviam ingloriam inutilem, egissent vitam, neque quicquam pensi pudorisve habuissent, in Asinos post obitum dejecti*.

IMPUDENTIA. CAP. III.

Cur per Asinum impudentia significetur.

Sunt enim qui per Asinum impudentiam ea de causa significari velint, quod Asinus sua tantum commoda destinatissimo quodam animo prosequatur, & modo suæ morem gerat voluntati nihil pensi habeat, castigationes contemnat, verbera etiam nihili faciat. Id in Asino vitium ita notat Xenophon, ut de se V. de Græcorum redivo, dicat: *Eo inquam tempore, si quem injuria ullo genere læcessivi, non possum non confiteri, vel Asinis me, qui esse dicuntur omnium quæ drupe dum in verecundissimi, in verecundiorum fuisse*. Quod vero Josippus cor Asini, & Canis impudentiam, objicit Appioni, hæc eadem sententia in uno stoliditatem & imperitiam, in altero maledicentiam incessit.

## POPULUS JUDAICUS. CAP. IV.

**A** ET populus Judaicus, utpote qui sublimioris doctrinae, quae in Divinis eorum literis delitescit, <sup>Judaici sine comparati-</sup> intellectu minimè percipiunt, simplicitatemque scriptorum tantum prosequuntur, ob hujusmodi stuporem & imperitiam Asinae assimilatur, quam Christus posthabuerit incenso ejus pullo, qui factus est ea doctrina dignus, quam ille nos docuit. Asina enim illa, ut Graeci Theologi deprehendere, populi prioris symbolum fuit, quae scripti onus pertulerit: est enim animal ad onera tantum & labores genitum, ut Eucherius dicit, super quam Apostoli vestimenta sua injecere, hoc est, veterem hominem exuere. Pullus vero, de quo Zacharias: *Ecco Rex tuus veniet tibi justus, & salvator ipse pauper sedens super pullum Asinae*, propter pristinam imperitiam, juniorem indicabat populum, Asinae quidem filium, ut Evangelistae cum plerisque aliis reddidere, nonnulli filium subjugalis posuere, animalis quippe, quod operibus & officiis servilibus omnibus subjicitur: plerique Gentilium nationem appellarunt, quae Christum insidentem tulit, promissamque à Prophetis & lege salutem minime despexit: *Agnovit enim Asinus praesepem Domini sui*. Hoc porro citato Eucherius: *Per Asellum, ait, quem insedit Dominus, simplicitas fidelium exprimitur: plebs scilicet quae Dei notitiam non habebat, quam Christus regendo & praesidendo, ad Hierusalem, hoc est, ad pacis conspectum, adducit.*

## A DEO ET SACRIS ALIENUS. CAP. V.

**A** Sinum porro Aegyptii adeo impurum existimabant, ut animal etiam daemoniacum arbitrarentur, propter quandam cum eo similitudinem. Quo vero ostenderent eum admoveri sacris minime debere, hominem cum cespite positus in terram genibus affingebant, cum ense ad maectationem parato, sed manibus post terga religatum: inde Asinum apponebant, eventum rei nimirum fore irritum indicantes. Oderant autem id animal Aegyptii, non propter imperitiam & ineptias tantum, & contumeliosam ejus naturam, verum propter colorem etiam ex albo nigroque confusum, quem à Deorum sacrificiis alienum abominabantur. Erat vero apud eos mos, ut Asinum ludibriis omnibus incesserent, luto cespitibusque passim impetum, contis etiam stimulant, quaque se locus offerret opportunus, praecipitem agerent. Unde proverbium in contemptibiles despiciatissimosque homines emanarit, *Asinus Aegyptius*. Apud Hyperboreos tamen instituta dicit Pindarus *κλειπας ὄνων ἐκατόμυδας*, illi enim Apollini Asinos maectabant. Nam ut apud Callimachum legere est,

Aegyptiorum  
odium in A.  
sinum.

*Τέτρασι λιπαργὶ Φοῖβον ὄνον Φαζία.*

*Exhilarant pingues Phobum epulae ex Asino.*

**D** Citat Apollodorum etiam Clemens Stromatis, de hujusmodi sacrificio. Gaudere vero Apollinem vitae arbitrum, eorum jugulatione dicunt, propter asultus, quos indicio vivacitatis in caede faciunt, dissculterque occidi soleant magnis quantumlibet ictibus percussi. Quantum vero pertinet ad impuritatem, apud alios uni Priapo sacer habebatur, ob verendi scilicet enormitatem, qua supra modum praediti sunt Asini: atque inde sunt ad generandum admodum segnes, compertumque est omnes alios ea genitilis productione conspicuos ad generationem ineptos esse, quod in emissionem per eam longitudinem semen transiens & hebetetur, & frigidius fiat. Neque vero nostro tantum tempore viri hujusmodi Asinorum instar habentur, sed olim etiam, ut gratissimus ille Imperatori Commodus, qui de pene ultra animalium modum prominente *Onos* appellatus est, eaque de causa ditatus, & Herculis sacerdotio praepositus. Tacebo Heliogabali emissarios, in hujusmodi genus monstrorum conquestionem: tacebo nostrorum etiam temporum opprobria.

Asinus cur  
Priapo dic-  
casus.

**N**Equè absurdum est significatum illud, quod ex vulgi proverbio desumptum est, cum præclare venusteque aliquid inchoatum cito deseritur, currentem Asinum pingere. In ore enim omnium est, Asini succussionem parum admodum procedere. Sane legas apud Ælianum, Asinos, eos præcipuè qui sunt in Mauritania, citatissimo gradu cursum inchoare, parvoque confecto itinere cito deficere, unde necesse sit eos ad Equos alligatos resti attrahere. Hinc Trigæus Aristophanicus suum illum scarabeum Asinum appellat: monens scilicet, ne cursu nimium pernicii viam aspiciatur, sed paulatim & sensim volet, ut labori sufficere possit, quod longe fecius accidit in Indicis, qui quidem, ut idem Ælianus auctor est, cum iter arripiunt, tardius incedunt, paulatimque progrediendo feruntur incitatus, rapidissimeque gradiuntur.

STOLIDITATIS LUDIBRIUM. CAP. VII.

**T**ot autem ea sunt quæ de Asinorum stoliditate traduntur, ut subinde sit ad eam redeundum, quam si apertius Ægyptii describere voluissent, animal omnium maxime docile deligebant, Si miarum quippe gregem inter quas Asinum vel saltare, vel tibiis canere, vel etiam disceptare fingebant: rem quidem tam dictu quam spectatu ridiculam, sed quæ in secessu pondus habeat.

INDOCILITAS. CAP. VIII.

**A**liter frantum Asinum in huiusmodi significatum proponebant, quippe quod animal sit minus idoneum ad discendum. Unde Horatius,

Serm. lib. 1. Sat. 1.

*Infelix operam perdat, ut si quis asillum  
In campum doceat parentem currere franis.*

Unde etiam Mathematici eum qui ortu suo sextumdecimum Leonis gradum sortitus sit, indocilem futurum præ sagientes, frantum Asinum tunc oriri fingunt: irritam eo modo institutionem futuram indicantes. Est Apud Platonem Legum III. juxta finem, proverbium, *Ab Asino excuti*, de iis qui graui & magna vel difficilia professi, ab incepto turpiter desistunt. Sedenim miror, unde Grammaticus quidam adductus sit, ut Platonis proverbium hoc ita sit interpretatus. ut de iis dictum voluerit, qui relictiis voluptatibus & inquinamentis quibuslibet voluptificis & belluinis (hæc enim ejus verba sunt) ad meliorem mentem regrediuntur, cui quid aliud respondeam, quam ut ipsius Platonis verba subjiciam? τὴν ἑστῶσαν αὐτῶν ἐν τῷ ἄνω ἑλίχθῃ, δὲν φάσιν ἰμοίχοι, οὐδὲν περὶ ἵππων ἢ λόγων ἐκείνων ἀναλωθέντων, καὶ μὴ καθάπερ ἀχάδων κεκτημένων τὸ σωματικὸν ἀπὸ τῶν λόγων φερόμενον καὶ τῶν παρομιῶν, ἀπὸ τῆς ὄψης πεσεῖν. Cujus vero rei gratia hæc dixerimus, mihi ostendendum est, ornium, ἵππων tamquam Equus hinc atq, inde coercenda, ne effranum veluti os nata, ipsoq, dicendi impetu provellet, ut proverbium est, *ab Asino quopiam excidat*. Sed cum is & hic, & alibi sæpe cadat ab Asino, in luto hominem hæstare permittamus, neque tollere rursus fractum crure Planum procuremus. Id vero eo magis indignè ferendum, quod testimonium sibi accersit ex Evangelica lectione, quam supra citavimus, ubi Servator noster Asinæ pullum obequitat, neque intelligit longe aliud esse, invecari. Melio in urbem Hierosolymam, aliud ab Asino excuti, vel mente alienari, nam & jocus ex locutionis enunciatae ambiguo resultat, cum ἀπὸ ὄψης etiam ἀπὸ ὄψης, sonare videatur,

Proverbium ex Platone.

IRRISIO. CAP. IX.

**U**T vero reliqua prosequamur: est irrisionis indicium Asinus, propterea quod rictu labiisque late diductis, dentibusque deformiter denudatis irridere videatur. Quin, & qui aliquem deludunt, appressa ad aures manu asininas auriculas imitantur, unde Persianum illud in huiusmodi derisionem, *Auriculas Asini quis non habet?* Sane Diogenes cum ei quidam dicere, *Multi te derident: Et illos, inquit, forassis Asini.* Altero subjiciente, *Sed illi non curant Asinos, At neg, ego illos, inquit:*

Verfi Diogenis derisum.



SOPH.

## SOPHISTARUM NUGÆ. CAP. X.

**A** SILENTIO prætere non possum, Sophistas nostros, cum Asino illo suo tam fœdo, tam spurco, tam abominabili, quem ita in deliciis habent, ut sine Asino nihil meditentur, nihil moliantur, nihil aggrediantur. Nulla umquam tam gravis, neque tam seria res in consultatione ponitur, ut non ipsi Asino super agendum censeant: sed enim iis optimè res cum Asino, qui *ἄσινος οὐκ ἔστι*, disciplinam omnem suam ostentant, ac omnium ignari, quodque peius est, indociles, de re nihili semper altercantur. Ad horum porro similitudinem Democritus Judæos ponit, qui in ordinariis, ut inscriptio est, historiis, eos tradit aureum asini caput adorare consueisse, singulisque septennarii spatii alienigenam semper hominem insidiis exceptum, in conventibus suis membratim discerpisse, quod & Plutarchus Cheronæus Symposiacis quaestionibus, & Cornelius Tacitus historiis memoriæ prodidere: quæ uti manifestissimam calumniam, ab Appione olim excogitamam, & Josephus constantissimè refellit, & Adamantius contra Celsum acriter redarguit. Nostri tamen tempora Symeonem puerulum Tridenti videre, quem blanditiis illectum, & in synagogam perductum, Judæi socialiter eo sacrificii genere trucidarunt; styliis per univèrsum corpus infixis, unde sanguinis quisque guttam vivis artubus exhaurirent. Testis ara facti, quæ quotannis ibidem à piis inuisitur.

## ADULATORUM ILLECEBRÆ. CAP. XI.

**E**RAT verò illud ad bonos mores excogitatum hieroglyphicum, quod veluti majores nostri servos ebrios, lingua pedibusque titubantes in liberorum conspectum ad vitii ludibrium, producebant, quo ipsi diligentius caverent, ne in hujusmodi turpitudinem inciderent: ita Sacerdotes Ægyptii asinum inter flores & ungenta statuebant, quorum nihil ad sensum ejus pertineret, ex hoc scilicet perniciem, quæ potentioribus præcipuè assentatorum machinis insidiatur, indicantes: cum inde risui & ludibriis omnium exponantur, qui enormes adulatorum assentationes aucupantur. Plerique enim, magni alioqui viri, à Musis & Græcis alienissimi, omnique turpitudinis genere spurcissimi, coram tamen & dignitatis, & eruditionis, & temperantiæ nomine non solum commendari patiuntur, verum etiam nisi facias, indignantur.

## IGNAVIA. CAP. XII.

**A**PUD multos asini significatum est ignavia, quæ quidem cum sit omnibus nota, superfluum est eam latius explicare. Ex hac tamen nota Palæstini asini excipiendi sunt qui Equos ipsos pernicitate provocare dicuntur: traditum ab Adamantio: Et apud Euphratem Xenophon, primo de Cyri minoris expeditione, inventos ait asinos, qui Equos cursu facile superarent. Nam cum ad eos equites proximè accessissent, cursum illi arripiebant, cumque longius profecti essent, interim restitabant, atque ita sæpius iterata fuga equites falebant. Et Saracoras legi asinos non ad onera comportanda, sed ad gerendum bellum adornare. Apud Pollucem sane legas per *ἄσινος* inter alia significata interiorè dici molam, ita à tarditate cessioneve, quæ asino propria est, appellavam. Et populos quosdam memorat Xenophon, qui non alia victitant industria vel arte, quam fodiendis *ροῖς ὄνους*, hoc est lapidibus iis, qui ad onos fabricandos idonei sunt. Et in sacris nostrorum literis, ubi vulgata interpretatio habet, opus esse, ut mola asinaria suspendatur, *ἄσινος* tantum apud Græcos legitur. Denique ne rem tam apertam multis inferciambus ambagius, Catullus id ipsum intelligit, cum super Amylio quodam impurissimo dicit: *Et non pistrino induitur, atque asino; Ne legamus, atque asinus; hoc est: perinde ac asinus, ut erudituli quidam putant, neve interpretemur lectionem, atque asino, ad concitandum scilicet circa molam Asinum, ut nonnulli ex commentatoribus exponunt. Sed ut ad Asinam ignaviã revertamur, hanc intelligebat Antisthenes, cum Atheniensium judicium in creandis magistratibus notaturus, suadebat eis, ut Asinos ad agriculturam deligerent, quos cum illi negarent idoneos ad rationem, Atque, inquit ille, non satis vobis est Magistratum elegisse, sive aptus sive ineptus vir ille sit ad gerendum?*

## EREMITA. CAP. XIII.

**S**ed quoniam de Onagro facta est superius mentio, minimè prætereundum est quod Divina literæ per Onagram Eremitas intelligunt, qui à popularibus turbis secedentes, in solitudinariis & ab hominum vestigio semotis locis vitam degunt, uni Deo tantum dedicati, quod tradit Eucher, de quibus dixerit Jobes, *Quis dimittet Onagram liberum? sed quia sequitur, Et vincula ejus quis solvit?* de Judæis Cap. 39, v. 8. quidam dictum volunt, quorum præcepta vinculis comparantur.

MU-

Sunt qui mulierem conceptum evitantes, aut virum admittere nolentem per Asinam, & fustem inhærentem tergo, designent: ea enim semen à coitu rejicit, nisi interpelletur, quam obrem statim post coitum necesse est eam verberari, agitarique, & ingnaviam qua prædita est solitudine castigari. Quinetiam mares ipsos fustibus salire cogunt, unde vulgo mos est, viros minime officiosos, Asinos appellare. Quid vero illud, quod hujusmodi pertinacia demortui etiam spoliis inhærescit? ungula liquidem asinæ viventem partum enecat, mirificeque maturant: quare Medici abortibus evocandis, nec aliter, eas in suffitum adhibere consueverunt.

## PRÆGNANTIÆ DISSIMULATRIX.

## CAP. XV.

*Asina in  
oculto pa-  
riens.*

Mulierem ad hæc prægnantiam occultantem notare cum volunt, parientem Asinam pingunt. Observatum enim est, id eam impendio cavere, ne vel in conspectu hominum, vel in luce pariat: quare ducenda est in tenebras, cum excludendi tempus advenerit.



## SOLSTITIUM VEL TEMPUS ANNUM.

## CAP. XVI.

*Plin. lib. 8.  
cap. 43.*

Pullus vero Asinæ nunc Solstitium, nunc tempus annum indicat, quod eo tempore plurimum à pariant, & admittantur, ut eorum seminis frigiditas cœli calore adjuvetur, & frigoris impatiens animal eo nascatur tempore, quod ejus imbecillitati sit idoneum: annum enim integrum ornant gestant.

## VIR FRUGI UXOR PRODIGA. CAP. XVII.

*Asellus fu-  
nem abro-  
dens, quid.*

*Prop. lib. 4.  
Eleg.*

Minime prætereundum est illud, quod insignium pictorum & sculptorum etiam opere nobilitatum est, ut cum virum in re cumulanda sollicitum, neque assiduos quantumlibet labores declinantem, uxorem verò prodigam, & ad omnia perdenda dissipandaque intentam hieroglyphicè significare vellent, hominemque sparti funiculum torquentem, illam vero Aselli effigie assidentem à tergo, & opus quantumcumque fieret abrodentem, effingebant. Sunt qui Polygnoti opus id fuisse dicant, meminere vero & Pausanias & Plinius, ac mox Romæ tum in Capitolio, tum in Vaticanis hortis insculptum marmore observatum. Hinc quid sibi velit Propertianus versus, admonemur,

*Dignior obliquo funem qui torqueat ocno,*

*Æternumq, tuam pascat asselle famem.*

Illud  $\epsilon\gamma\pi\alpha\sigma\epsilon\gamma\epsilon\gamma\omicron\nu$  addam quod Pausanias ponit, Asellam, non Asellum marem in pictura spectatum, quæ funem abrodere. Plutarchus commentario  $\omega\delta\epsilon\ \tau\ \epsilon\upsilon\theta\upsilon\mu\alpha\varsigma$ , apud inferos argumentum pictum ait, sed Asinum non nominat.

## PATERFAM. PARCUS. FAMILIA PRODIGA CAP. XVIII.

Diodorus Asinorum imaginem istiusmodi apud Ægyptios ostentari tradit: Asinum quippe unum longioris funis nodos complicare, ac alios à tergo clanculum dissolvere uno porro eodemque



**A**demque argumento cum superiori, quod nonnulli Jonicum figmentum putant, ceterum pictorum & sculptorum ingenio variatum. Alterum tamen hoc patremfamilias frugi, familiam vero prodigam & perditam ostendit: nimirum enim nodum plicare, significat congerere, accumulare, rem facere: dissolvere vero, destruere, disperdere atque prodigere. Sane apud Plin ubi opera Aristolai Pausiae filii recensentur, inter alia est piger qui appellatur Ocnos spartum torquens, quod asellus abrodit: quamquam hoc eo significato accipi potest, ut ignavorum opera excipi a pernici intel- ligamus.

## BONUM OMEN. CAP. XIX.

**Q**uod vero simulacrum & Asini & Asinarii aeneum est ab Augusto dicatum, utriusque nomen in causa fuit, quod ab his ipse victoriae praesagium cepit, cum apud Actium ei in aciem descendenti facti obviam essent, agasinique; nomen Eutycho esse, bestia vero Niconi intellexisset: quid enim non bene ominaretur victoriae nomen bonae fortunae junctum? Sed habuit augurium hoc aliquid quod movere posset, cum tam speciosa essent nomina: quid autem in illo fuerit, mirum est, quod **C.** Mario apud Fanniam Minturnis custodiae credito, Asinus, qui ruditu quodam ingenti vociferatus fuerat, in domum ejus a fonte cursu rapido profectus, sperandae salutis maritimo itinere augurium dedit. Jam & in augurali si quis aegrotet, vidisse Asinum qui a lapsu se sustulerit, indicat eum convalitutum, in omnibus dicente quopiam, *Viden' ut Asinus sese erexerit*: decumbentem indicat surrecturum.

## VINITOR. CAP. XX.

**N**e tamen animalis istius stuporem, segnitiam & ruditatem usquequaque deludamus, grati animi opus fecerimus, si qua nos parte juverit, exposuerimus, & illi pro merito gratias habuerimus. Siquidem vineas colere non alio nos doctore didicisse, nonnulli tradunt, quam Asino, quando is putandarum vitium & author & praemonstrator fuerit. Nam abroso ab eo vitis palmitis, vindemiam inde teraciorem provenisse observatum est: idque summa secuti diligentia mortales, latior rem sibi quotannis proventum compararunt. Ejus rei monumentum Naupliae spectabatur, ubi lapideus Asinus grata posteritatis memoria dedicatus fuerat. Huc illud addam, quod is neque mortuus quidem officium facere desistit: siquidem Vadimonius compertum ait, calvariam ejus in hor- torum medio depositam, ad loci fertilitatem facere.

## OCHUS REX. CAP. XXI.

**O**chum autem Persarum regem *ισογλυφικῶς*, per Asini simulacrum in primis Aegyptii notave- re, qui cum maxima intercedebant odia, ut fieri solet, inter eos qui de imperio, deque libertate dimicant. Hic est Ochus ille avaritia in primis famosus, adeo ut urbem eandem intrare numquam voluerit, ne aureos, qui singuli singulis mulieribus ex lege Cyri debebantur, erogaret. Unum *Cyrus & O-* miror, apud Tertullianum Cyrum eundem Ochum dici, hunc inquam quem Aegyptii sceleratum *ochus* pollututumque; Asinum cognomento vocitabant, in quos ille, ut Dion scripsit, haec est retorquere solitus, *Asinus profecto vestrum devorabit Bovem, Aping, ita postmodum mactavit, Asinid, eos imaginem au- ream compulit ad aure, quo nihil illi unquam ignominiosius accepere.* Falsum verò illud est, & ab omni **D**veritate alienum, quod Cornelius Tacitus tradit de Asinino capite, quo de superius, a Judaeis loco numinis habito, in quo impudentissime mentitur, & ea de causa mendaciorum loquacissimus a Ter- tulliano appellatur: ac perinde vanus est in Judaeorum origine repetenda, dum eos modo Creta, modo Lybia oriundos scribit, modo Aethiopum prolem comminiscitur, & in omnibus quae de Moyse loquitur, deliria mera ponit. Aegyptiorum autem exemplo, Clisthenes cum infestissimo Sicyonios odio prosequeretur, eorum tribus in ridicula cognomenta commutavit, eas tum *ὄατας*, tum *ὄνείατας*, tum *χοιράτας*, appellando; *Suavios* quippe, *Asinos*, & *Porcarios*.

## LABOR INDEFESSUS ATQUE SERVILIS. CAP. XXII.

**R**eceptum & illud est, servilem laborem per Asinum clitella instratum significare, cujus rei causa magis vulgo nota est, quam verbis explicari necesse sit: quippe quod animal indefessi fit

T

labo-



laboris, inique & perpetuæ onerum vexationibusque aliis damnatum esse videatur. Porro legas in Ecclesiastico: *Cibus, virga &onus Asino, ut panis & disciplina & opus servo.* Asini etiam cutis post obitum, ne quid ejus umquam requiescat, foraminibus dilacerata, Assidua cribrorum in seruat agitationi. Quod porro laboris significatum etiam ad somnia progreditur: si quis enim, ut alibi diximus, Asini se aures habere imaginatus fuerit per quietem, ingrere homini seruitutem & ærumnas, conjectores autumant. Ita etiam si quis Asinum se caput habere somniaverit. Sed quod ad hanc sententiam facit, nequeo illud dissimulare, quod jocosè actum est à Ptolemæo, qui Heraclidis Lycii de laboris laudibus lucubrationem festiuitèr illustrat. Nam cum is librum cui titulum fecerat *πρὸς ἑγκόμιον*, Regi sibi obviam facto, quidque præ manibus haberet interroganti, obtulisset, Rex accepto libro, & primùm tituli elementum statim abrasit, atque ita pro Laboris laudatione, Asini commendationem legendum ostendit, quippe *ὄντ' ἐγκόμιον*, labores scilicet illos, quos tot ille laudibus in cœlum extulerat, ad Asinum potius quam ad hominem spectare. Ita enim deliciofum ac molle potentiorum, genus ingenuis etiam laboribus industriæque generosæ, laudabilibusq; vigiliis illudum, cum fruges consumere nati, tantillum hoc etiã gloriæ, quod per genii fraudationem quærimus iniquissimè invident. Sed illud in Ptolemæi scomma faceret Lucianus Menippo, decretum recitat apud inferos ex Caluarri dicto, ut divitum animæ, quæ rursus in vitam remittenda essent, in asinos demigrarent, donec in tali rerum statu, ad multa annorum millia asini ex hujusmodi asinis renati onera ferrent, atq; insuper à pauperibus agitantur. Meministi autem, doctissime Curfi, argumentum hoc sermone nostro ausam præbuisse, cum in medio convivio in magnorum quorundam hominum insolentiam acriter ex candesceres, qui otio & lascivia diffuentes, & omni nequitie genere contaminati, literatos viros omnem laborum causam asinos appellaverant. Fuerint (ajebas) qui stupidos, qui profanos, qui ridiculos, qui animalia maximè omnium bruta asinos existimarint: longè diversum illud est, quod apud Hebræos, præcipuè Cabalisticos, asinus est sapientiæ symbolum, cujus quippe ideam cõstituant *СЕРНИВОТН*, eam afferentes rationem, quod eum qui sapientiæ sit operam daturus, victum admodum tenui, & eo plurimum plebejo contentum esse oporteat, cujusmodi parsimonia prædictum esse asinum ignorat nemo: adhuc, penuriam, laborem, plagas, & famam patientissimè tolerare, neq; ad ullam excandescere contumeliam, undecumque illata fuerit, animo esse parvum, inopem, atque simplicem, ut qui nullum inter carduos & lactucam discrimen habeat: corde sit minimè vasro, minimè cupiditatibus contaminato, bile ita careat, ut cum omni animantium genere pacè sibi perpetuam constituerit, nec ullum sit onus quod detrectet, quod non obsequiosè suscipiat, & si sit opus, pro Bove terram profcindat, plaustrum trahat, præcipuè verò machinæ maximè omnium necessariæ, pistrino æternum seruiat, ligna, poma, olera frugum genus omne comportet, sit denique totius humanæ commoditatis assiduus & infatigabilis minister, ut etiã, quod ajunt, mysteria portare compellatur. Merito itaque Ammonius Alexandrinus magno Origene & Porphyrio discipulis clarus, asinum his condiscipulum fertur adhibuisse. Neq; verecundatus Cleanthes appellationes hujusmodi confidentissime respondit, *Asinus quidè sum, sed qui portare possum sarcinam Zenonis.* Valebit igitur Aristoteli, qui opere de Moribus non quemcumque fortem esse existimat, qui quamcumque toleret vel ignominiam, vel calamitatem, vel incommodum, virtutemque ullam negat in patientia sitam esse: homo mollis, & delicatus, qui tamen liquido perspiciebat, si fortitudo partem haberet in patientia, futurum dubio procul ut asinus animalium fortissimus haberetur. Hæc atque alia multa in asini commendationem declamasti. Atque ego acerbiorum tuam iram illam hoc sermone comitigaveram, qui labores quidem agnosceremus, omnem vero ignaviam ad eos haud gravate relegarem, qui cautum lege veteri sciremus, utilitatis quæ ex frugi adeo animali percipitur ratione habita, ut honore cum hominibus pari dignaretur. Nam cum primogenita sacrificari præceptum sit, homo tantum atq; asinus excepti: ut ille scilicet, certo pretio redimatur: hoc, Ove animamli jumentorum omnium pretiosissimo innocentissimoque commutari possit. Sed ne ullum officiosissimæ servitutis genus huic brutorum generi desit, nostris etiam moribus nos levare, ac eos ad se recipere perferre: natura ipsius vi quædam occulta minimè detrectant. Nam ut Apul. lib. de re Rustica ait, si quis à Scorpione ictus super asinum allederit ad caudam conversus, transibit in asinum dolor, & is pro percasso torquebitur. Adde

Ptolemæi  
jocus.

In Sapiente  
quæ requi  
runtur.

& De

A & Democritus fabulam suam, qui ait, percussus à Scorpio si statim ad asinum quempiam accedens in aurem ejus dixerit, *Scorpius percussit*, non doliturum amplius, dolore scilicet in asinum transeunte, qui mox pedendo emoritur, ut Zoroastes addit. Facetiores quidam, morbos suos phratoribus, quos itinere casu obviam habuerint, commendare solent: siq; illi addixerint, transire ad eos incommo- dum, donatorem liberari. Sed præstat id potius, quamvis *πρόσθερον* referre, quod hic morborum transitus in rebus etiam inanimis inveniretur. Nam apud Quintilios in præceptis de re rustica legimus, si lactans adhuc infans febre vexetur, cucumeres paris longitudinis duos dormienti, hinc unum, inde alterum admovendos, ut eutem contingant, fervorem omnem in cucumeres transire, in- fantem incolumem fieri. Sed jam tempus est ut Asinorum succussatione delassati, in Mulum in scen- damus.

## DE MULO. CAP. XXIII.

B Quoniam vero prognerat Asinus Mulum, par est, ut Mulum Asino subjiciamus: mox à labo- rum societate Camelum Mulo subjungamus.

## NOTHUS. CAP. XXIV.

A B eo vero incipiam significato quod vulgo magis protritum est. Spurium enim hominem co- gnomento Muli nemo non appellat, atq; olim ea de causa Mulos Lunæ vehiculo adhibue- runt: quia veluti Mulus non suo genere, sed alieno creatur, sic ea Solis, non suo fulgore lucet, quod & Catullus noster agnoscit, ubi, *Sive nobis es lumine Luna*, dicit. Nam quod alii factum hoc ob steri- litatis similitudinem dicunt, quod scilicet Luna perinde sterilis sit atque Mulus, dicere non ausim, qui acceperim à Cabalisticis, Planetarum, stellarum, atque adeo coeli totius vires, rerum omnium formas in unum livare corpus, tanquam in matricem infundere, eamque postmodum parturienti- um in morem vi sua species novatusque omnes conformare, factasque & adultas omnium oculis ostentare. Quod si res ita se habeat, ea sitne sterilis appellanda, viderint alii. Nothum vero, qui sine patre sit, hominem nuncupare, non tam seculi nostri mos est, quam remotioris etiam ætatis, ob adul- terinum, qui nulli non innotuit, conceptum. Cyrus tamen legitimo quamvis matrimonio generatus, Mulus est dictus: propterea quod generosiore matre natus esset, Atyagis quippe Regis filia, cum pa- ter Medorum imperio subiectus esset, de quo versus feruntur hujusmodi ab oraculo editi, quibus fu- ga Lydis indicitur simulac Mulus Medorum invaserit regnum:

*Ἄλλ' ὅταν ἦμιον βασιλεὺς μηδοῖσι γένῃ,  
καὶ τότε λυδὲ πηλαγὲ πολυψηφίδα παρ' ἔδρη  
οὐ γένῃ μηδὲ ἰβρίην, μηδ' αἰδέσθαι κακὸς εἶναι.*

Quamvis alii per Mulum bellicas tempestates intelligunt, propterea quod plurimus sit belli tempo- re Mulorum usus. Ferunt vero Mediam Asinum primum Equæ vim intulisse, eaq; inde gravida fa- cta, mortales id seminii parere didicisse.

## ALIENUS AB AMORE. CAP. XXV.

B Sunt præterea qui hominem alienum ab amore Mulæ simulacro notari velint: propterea quod ea sit tanta contra amorem efficaciam, ut pulverem in quo se Mula volutaverit, corpori inspersum, mitigare amoris ardorem tradant Magi. Sed quanti, bone Deus, est ἡ συμπάθεια καὶ ἀντιπάθεια ἢ Φιλία, concordia scilicet repugnantiaq; rerum, in hoc quoq; animalium genere superstitiosa Ma- gorum sedulitate deprehensa! Nam quæ ipsa adeo sterilia sunt, diversissimi tamen generis tæcun- ditati conferunt: siquidem fetas ajunt ex cauda Mulæ, si junctum evellantur, inter se colligatas in coi- tu, mulieres cogere, ut etiam invitæ concipiant.

## STERILITAS. CAP. XXVI.

Sed præcipuum apud Aegyptios est Mulæ significatus, sterilitatem indicare, cujus partum prodi- giosum esse ad expiationem usque, veteres credere. Eas vero ad prognerandum ineptas ob id

Muli ac  
Mulae cur  
steriles.

authores tradunt, quod animalia quaecumque tertii sunt generis, diversis quippe generibus prognata non gignant. Quas vero Theophrastus in Cappadocia, & Syria vulgo parere existimavit, Aristot. diversum ponit genus, quos Hinnos appellant: fert hos praecipue terra Syria supra Phoenicem, qui similitudine quadam nomen Mularum acceperunt, cum genus omnino diversum sit. Coeunt haec animalia, & mutua inter se ratione prognerant. Alcmaeon in Mularum genere mares ideo steriles esse dicit, quod tenuem admodum genituram habeant, ac perinde frigidiusculam, foeminas vero propter locos minime ad aptiles, quod & Horus nosse & Empedocles tradidere, breves enim illi sunt, humileque & restricti, Venerique averse coaliti, ut neque genitura recta in illos labi, neque si illabatur percipi possit, id quod in dissectionibus Diocles optime se observasse confirmat. Eandem porro sterilitatem per Mulum expriment & Divinae literae. Nam Psalmo xxxi Mulo fieri similes prohibemur, propterea quod animal id intellectu careat, perinde ac Equus etiam. Hoc insuper sterile est animal, quippe nulla virtutis femina concipit, nec fructum ullum producit, atque hoc partim male affectae naturae causa, qua praeditum est, partim propter inertiam qua fit ad aliquid agiler agendum ignavissimum. Non praetermittam loco hoc, Eleum agrum ita Equorum generositati consecratum esse, ut Molorum genus non ferat intra regionem, etiamsi admittatur Afinus, & rem peragat, Equam non concipere, quod plurimum admiratur Pausanias. Utcumque vero haec habeant, nemo ignorat sterilitatem, qua Mularum propria est, fuisse causam, cur partus huiusmodi in annalibus aliquando observati, habiti sint ostenti loco: bonum vero an malum ostenderent, in ambiguo esse facit eventorum varietas. Siquidem C. Valerio, & M. Herennio Coss. cum Mula in Apulia peperisset, totum annum domi forisque tranquillum fuisse comperimus, sinistra tamen quadam obnunciata. Sed quod omnium perniciosissimum Rom. Reipub. fuit: inter Caesarem & Pompejum exorta bella Mulae partu edito, L. Paulo, L. Marcello Coss. multi prodiderunt. Cumque alia Romae ad 12. portas peperisset M. Lepido, Munatio Planco Coss. subsequuta: sunt nonnulla faciorum direptiones, dum bella per Brutum & Cassium in provinciis gerentur. At nihil quicquam tale evenit L. Scipione, C. Laelio Coss. cum identidem Mula Reate peperisset.

Ex Mularum partu eventus Sa. vii.

#### MATRONARUM IMPUDICITIA. CAP. XXVII.

Invenio & apud quosdam matronarum notam in partibus ex Mulae parientis prodigio significari: quod earum pilenta Mulis iunctis trahi solita sint, ut numis aliquot spectare licet.

#### INEXPECTATI EVENTUS. CAP. XXVIII.

Aliis magna rerum molimina Mularum partus ostendere, in iis praesertim rebus, quae praeter spem & expectationem omnium accidere: ut Dario Babylonem elusa totiens opera oppugnanti, quam tunc demum cepit, ut vulgatissima est historia, cum ex pervulgato per hostes ipsos omnino Mula Zopyri, cuius consilio, opera, ingenio & fide usus est in eo negotio peragendo, foetum edidisset. Simile & illud fuit, quod Galbam ad res novas animosius tentandas confirmavit, apud quem Mula pepererat. Nam Zopyrus inde animum sumperat, quod Babylonicis conviciabundos e propugnaculis audierat inclamare, *Darium non ante urbe potiturum quam Mula peperisset*, eventumque rei apud se compererat. Galba avi sui omen exceperat, qui Aruspibus rerum summam puero promittentibus responderat, cum Mula pepererit. Habet enim Mula regium nescio quid etiam in Divinis literis, ut Reg. 3. David, *Ponite filium meum Salomonem in Mulam meam*: dicens meam, ostendit, quod & ipse in Mulam sedebat. Nobis vero (mi Petre) quid sperandum, quidve timendum est, qui Mulae foetum domi nuper inspeximus? Anno enim hoc salutis nostrae duodevigesimo supra millesimum & quingentesimum, Leonis X. sexto, quarto Non. Aprilis, qui dies de Asertoris nostri nece publico luctu nefastus fuit, apud amplissimum dominum meum Julium Card. Medicum, hora lucis tertia Mulae, uti nosse, partus editus. Quod si quis, ut Galbae, portendi huic aliquando summam rerum amplitudinem dixerit, ut eveniat non erit hoc praeter expectationem, & spem hominum, qui vulgo illi talia ominantur, qui de hominis prudentia, de morum integritate, rerumque peritia omnia sibi pollicentur. Id unum precibus a Deo deprecandum: ne, quod factum est Pauli & Marcelli consulatus Julii

Sueton. in  
Galba. c. 4.

Mula par-  
turi.

**A** Julii Pompeijq; discordia, in magnam urbis perniciem suscitentur: ne quod Lepidi, Plancique consulari accidit, intestina bella miserabiles sociorum direptiones invehant: ne præter expectatum, magnum aliquod & inexcogitabile malum oboriatur, maximarumq; in Italia urbium capturas, populationes, incendia, vastitatem inducat, cum præsertim tam dira ea sint, quæ sidera, quæ fatidici vates, vetusta etiam de nostris temporibus oracula, nocturnæ diurnæq; sapius exaudita voces, brevi futura minitantur, quibus consentire videtur præsaga mali tacita quædam in mortalium omnium cordibus trepidatio. Sedenim nos interim Deo freti, quicquid eventurum est forti animo tolerandum nobis proponamus, inceptumq; laborum ingenuorum iter, dum licet alacriter peragamus. Sed il-  
 lud non omiserim, Mulas non sui generis tantum animalia parere aliquando visas, verum etiam E-  
 quos, ut anno circiter M. cccc. lxxii. in Arenate Brutiorum agro, Mula Equum peperit pilo flavo, crinibus rutilis, oculis rufis, quem post Loisius Arenas apud Brutios longe princeps, ad Ferdinandum Neapolitanorum regem misit.

## VOLUPTARIA VENUS. CAP. XXIX.

**B** Sterilitatis demum, quam superius posuimus, ergo, qui lascivum hominem, Venere quippe non ad prolem, sed ad voluptatem tantum atque spurcitiem utentem significassent, vel Mulum qui Equam saliret, vel Mulam surrecta cauda prurientem, pingere consueverunt. Huic enim generi, quamvis ad prognerandum inepto, genitalia tamen ad voluptatem natura concessit. Quod illis dictum velim, qui animalia rationis expertia, nullo neque voluptatis, neq; irascentia: neque cupiditatis sensu affici contendunt: moverique ad hujusmodi incitationes naturæ quodam impulsu, ut vel se sospitent, vel species propagentur. Neque quidem dicendum asserunt, Leonem audentem animosumque esse, neque quidem Cervum pavidum: sed quodammodo pavidum, illumque quodammodo animosum: perinde ac si dicerent, animalia hæc neque cernere, neque audire, sed quodammodo cernere, audireque quodammodo neque vociferari, sed quodammodo vociferari, atque semel dicam, eanon omnino vivere, sed quodammodo vivere.

## MUTUA OFFICIA. CAP. XXX.

**C** Eo vero modo quo proverbis argumentum datum, hieroglyphica sapius excogitata, & hujusmodi picturationum species adinventæ: ut si quis Mulos duos mutuo se scabentes pinxerit, mutuum operam significari conjiciamus, ex eo, quod hujusmodi utimur adagio, id ipsum innuente cum scilicet dicimus, *Mutuo Muli scabunt*. Quamvis sunt, qui proverbium hoc non nisi ad improbitatem & imperitos sese invicem efferentes spectare putent. Scripsit vero M. Varro librum eo titulo, cuius testimonium citat Nonius. Recte vero accommodari poterit pictura hæc ad id, quod Horatius ridet Epistolis:

*Enter erit Roma Consulit Rhetor, ut alter Grachus ut hic illi foret, hic, ut Mutius illi.*

*adagium.*  
Epist. lib. 1. ep. 7.

Et de Poëtis paulo post,

*Discedo Alcaus puncto illius, ille meo quis? Fit Mimnermus, & optivo cognomine crescit.*  
*Quis, nisi Callimachus? si plus deposcere visus,*

## DE CAMELO. CAP. XXXI.

**D** Ipsa quidem munerum laborumque, uti dicebamus, societas, quæ Camelo cum Asinis & Mulis conjuncta est, exigere videtur, ut ad eundem gregem revocentur. Quoniam vero cum Porci significata recenseremus, incidimus in Camelum, quem profanum perinde ac Suem deprehenderamus, inde videtur exordium, ut qua de causa veteres id existimarent, explicemus. Porcum enim ideo profanum ostenderamus, quia non ruminaret, ungula tamen esset bifida, alterum hoc longe diversum animal, profanum & ipsum tamen, propterea quod ungula sit solida, tametsi ruminat.

## IMPERITUS DISCEPRATOR. CAP. XXXII.

**U**nde fit ut per Camelum mystico sensu illi notentur, qui distinguendi seligendique ratione minime præditi sunt: qui scilicet sacra profanis, humana divinis nullo discrimine commiscant, ruminant.

*Cameli mystica significatio.*

minantes utique veluti & Cameli faciunt, argumentorum scilicet formas aliquot concipientes, sententiam modo hanc, modo illam animo agitantes. Sedenim solipedes qui sunt, hoc est, imperiti, neque rerum neque verborum discrimina discernentes, ita omnia confundunt, ut curvum à directo nequeant internoscere. Quo circa, non immerito apud Christianæ pietatis proceres lege admodum severa cautum est, ne quis literarum imperitus, acutissimo quamvis ingenio polleat, de divinis quicquam differere confidentius audeat. Neque porro ad Theologicam speculationem datur accessus, nisi de disceptatoriis & naturalibus disciplinis exactissima fuisset quaestio prætentata. Verum omnia jamjam



Æneid, lib. 2

In pejus ruere ac retro sublapsa referri:

usque adeo quæ frivola sunt, nulliusquæ momenti studiosius confectamur: quæ vero pondus habent, quæ locupletem veræ disciplinæ redundantiam ex toto, ut ajunt, calathò elargiri possunt, vix attingimus. Jure igitur eos reprehendit Aſsertor noster, qui culicem liquant. Camelum vero tanquam potabilem deglutiant: Culicem enim liquant, hoc est, minutissime mandunt illi, qui minima tantum in lege perveſtigant, quibus studiosius inſiſtant, ubi omnes ingenii vires intendant, Camelum vero, hoc est, perverſorum actuum tortuoſitatem, aut quæ aliqui magni ſunt momenti deglutiant, hoc est, parvipendunt, nullo quippe manuſu, ruminatiōe ve devorant: quaſi nihil ad rem pertineat, ſacra habere ludibrio, & ſcleratiſſimis quibusque facinoribus inquinari. Cæterum cum plurima ſint ſuper Camelo adnotata digna, miror Ægyptios tam parce ejus uſos hieroglyphico, cum præſertim animal eſſet illis admodum familiare. Sed enim illi dubio procul, ut etiam in Equo fecerunt, à ſacra alięnum animal ſedulo averſabantur.

## CRURA FEMORAQUE CONCIDUA. CAP. XXXIII

Camelus unde.

NAM vix illud ab eis proditum conſtat, ut hominem, cui inter gradiendum femora incurvantur, derentur, eaque de cauſa ſegnus ingrederetur per Cameli ſimulacrum exprimerent: propter ea quod, ut ipſi aſſerunt, ſolus ex animalibus femora etiam incurvet, unde illi Cameli cognomen tū aſpera in lenem litera commutata, quaſi Camerus antea diceretur *καμηλο* & *καμηλο*, quod incurvo ſignificat, & *καμηλο* femur. Camelus enim, ut præter Ægyptios author eſt Herodotus, quatuor in poſterioribus cruribus femora gerit, & genua totidem, id quod omnino negat Ariſtoteles, genua ſingula ſingulis cruribus eſſe contendens, totidemque artuum flexus, ut vero plures eſſe videantur, evenire propter alvi intervallum, latamque femorum divaricationem. Utcumque vero Philoſophi de re diſputent, Ægyptii per hujusmodi picturam, hominem qui ſub pondere deficere quodammodo videretur, greſſuque admodum vacillante progredere, innuebant. Hujusmodi mihi fuiſſe videtur Claudius Cæſar, quem ingredientem deſtituebant poplites nimis firmi.

Sueton. in Claud. cap. 30.

## FORTIS. CAP. XXXIV.

EST tamen in Camelo mirus doſi vigor, & onerum gerendorum robur indefeſſum, ut fame etiam ac ſiti pertinaciſſime tolerata, in plures ſub onere perfeveret dies. Unde Mathematici figuram ejus xvii. Leonis, Librae xvi. Scorpionis xx. gradibus intulerint, fortem & validum virum eum pollicentes, qui uno horum gradu, ſupra Finitorem emergente, natus eſſet.

## OPULENTUS. CAP. XXXV.

Matthæi locutus explicatur cap. 19.

QUONIAM vero ſunt qui Aſſertoris noſtri ſententiam in opulentos dictam, *facilius ſcilicet Camelum per acus foramen, intrare, quam divitem in Regnum Dei*, ita accipiant, ut non de Camelo animali ſit intelligendum, ſed de grandiori quodam reſtium genere: ſciendum ex Origenis ſententiâ, de animali potius accipiendum: eaque de cauſa divitem Camelo comparatum, quod Camelus omnium animantium, ſi formam ſpecieſ, tortuoſiſſimum ſit, ut (veluti ſuperius dictum) ea de cauſa plura femora pleraque; genua habere videatur: ita plura divitum negotia, pluresque atque variæ ſunt avocationes.

A tiones, cupiditatesque, quibus implicari eos, distrahi, rapiq; necesse est. Angustius vero acus foramen, arctiorem arguit viam, quae ducit ad vitam, ut idem ait Adamantius. Denique Camelus ruminat quidem, sed solida est ungula, veluti plerique divitum cogitant quidem, agnoscuntque quid agendum, sed propter peccandi facilitatem occasionemque sapius oblatam, cum cruribus sint infirmioribus, iisque perplexis longe proclivius in libidines & reliqua vitia dilabuntur. Nam, ut prima ad Timoth. epist. Paulus ait, Radix est omnium malorum cupiditas, raroq; divitia nisi cum injusti- Cap. 6. v. 10. tia converuntur: tali, inquit Eucherius, administratione res ista capitur, tali custode servatur, adeo quaedam societas est pene etiam nominis duabus his rebus, vitiis & divitiis, unde olim nos ita lusus:

De vitiis quod divitiis cumulentur apertum est,  
Nomen idem vitiis divitiisque datum.

Operæ pretium vero mihi videtur hoc loco, quod superius dissimulavimus, interpretationem Eucherii piam admodum subtexere dicti illius, *Liquantes culicem, Camelum autem deglutientes. Culex, Hattib. 23. 6. 24.* inquit ille: *suscipiendo vulnere, Camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat.* Liquaverunt ergo Judæi culicem, cum una omnium susclamazione seditiosum latronem dimitti petierunt. Camelum autem glutierunt, cum eum qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat, ut extingueretur, clamando pervicerunt.

ZELOTYPIA. CAP. XXXVI.

Sunt qui per Camelum zelotypiam significant: propterea quod animalia reliqua tempore quo rei Venereæ cupidine, vel rabie potius incitata gestiunt, in suum tantum genus ferociunt, ac favunt: Camelus autem in hominem etiam, atque in unum quodque aliud animal efferascit: & usque adeo sibi timet ab omnibus, ut solitudines petat, & id temporis ab omnium consortio dissepatus, solam foeminam assectetur.

REVERENTIA IN MATRES. CAP. XXXVII.

Illud etiam tam ad eruditionem, quam ad bonos mores plurimum facit, quod nonnulli per Camelum reverentiam in matres significari tradunt: is enim nunquam matrem supervenit suam: *Cameli reverentia in matrem.* Cuiusmodi si quis cogat, ipse non patitur. Jam cum aliquando admistrarius non haberetur, curator pullum matri operæ admisit, qui dum coiret delapso operimento agnovit matrem, & quamvis coitum absolverit, memorem tamen commissi sceleris, paulo post ubi data est occasio, Camelarium mortu defixo interemit, quæ quidem piensissima modestia, cum sit camelis admodum familiaris, inde factum facile crediderim, quod olim nupturæ Camelis virginibus supplicabant. Quæ vero de Cameli erga matrem reverentia diximus, ex Aristotele sumpta sunt, quæ Avicennæ etiam assensu confirmantur. *Idem supra lib. 4.* Simile quoddam adversus matrem accidit Equo cuidam regis Scytharum, qui ut facinus expiaret, semetipsum præcipitem ex editissimo loco dedit, atque ita animam efflavit. Cæterum non ita faciunt Equi omnes. Quin Aristoteles tunc perfectum esse argumentum dicit, cum parentes suam ineunt prolem: quod par crimen est cum eo, qui matrem tentat, ad quod Ovidiana Myrrha respexisse videtur, cum dixit,

— Fit Equo sua familia conjux.

TRACTABILITAS. CAP. XXXVIII.

Est & illud inter hieroglyphica reponendum, quod per Camelum à puerulo rectum, mansuetudinem maxime tractabilem apte significarunt. Siquidem mansueti adeo sunt Cameli, atq; bilis tam expertes, ut vasta illa moles minimi cujusq; pueruli arbitrio gubernetur. Contra vero Equus, cum generoso sit animo ac præferoci, magna adversus Camelum afficitur antipathia, neque aspectum odoremve ejus ferre potest. Notum est, quod superius attingimus quid egerit Cyrus adversus validum Lydorum equitatum, cui suas copias impares suspicabatur: ingentem enim is Camelorum gregem ante pedes in acie prima statuit, factoque



113

in Lydorum equitum impetu, simulac Equi Camelorum odorem haufere: subito consternati, non solum insidentes præcipitaverunt, sed peditum quoque ordines protiverunt, atque ita pars illa, cui Croesus plurimum fidebat, elusa.

CIBI POTUSQUE ABSTINENTIA.  
CAP. XXXIX.

Longa autem jejunia, & diuturna sitis tolerantiam per idem animal significari, ex eo manifestum est, quod nullum animal tanta insigne magnitudine, tam exigua cibi paucitate nutritur, neque dies plures sitim tolerat: cum satis constet in duodecimum usque diem Camelos sine potu perdurare, unde à Poetis *Esistentes* appellantur. Habes jam Petre Cursi, Asini, Muli, atque Camelli, laboriosum animalium significata, quantum memoria complecti potui: reliqua tu, si argumentum placuerit, & doctrina & iudicio tuo supplere poteris.

Plin. lib. 8.  
cap. 18.



JOANNIS PIERII VALERIANI  
HIEROGLYPHICORUM

LIBER XIII.

DE HIS QUÆ PER LEPOREM, VULPEM, ET ALIA  
MINORIS GENERIS QUÆDAM ANIMALIA  
SIGNIFICANTUR.

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD JOAN. ANTONIUM EGREGIUM NEPOTEM.

**H**æcundissimus frater tuus Vendrius, quem præter cognationem, ob summum ingenium & bonarum literarum studium unico diligo, proximis hæc diebus, ut nosti, Roma in patriam se contulerat, paucissimosq. dies hic moratus, de digressu cepit illico cogitare: conatus sum juvenem dies aliquot detinere, ille tamen cum omnino Venetias sibi quam primum redeundum reperiret, non hic temporis conditione, non loci amantate, & tranquilla anni temperie remoraturus, ut in officio esset Illustrissimo Cardinali Medico Mecœnati nostro, qui eum satis agere dimississet, ejus fidiissimo, & aequè gratissimo servitio tantisper cariturus, exolui propemittentem, ac ne eum ulterius morari pergerem, suscitavi ut magis properaret, qui patroni ingenium à teneris noverim, quem aluerim, quem formaverim, quem si licet, ornaverim, mox coluerim, & colam semper vita hoc dum reget artus, ob summam animi præstantiam, & optimam utriusq. lingua cognitionem, bonarumq. artium & disciplinarum omnium studium: ut vere oculus summi Antistitiæ ordinis censeatur, tum ob singularia & assidua præpensiore animo in me meosq. officia: & amplissimam ejus munificentia largitionem, quibus jugiter suos fovet & amplectatur. Quoniam vero paucis ab hinc diebus caveam nonnullarum avium, tum cicurum, tum sylvestrium & externarum, Nicolao Cordato Jurisconsulto nostro dono dederam, æquum visum fuit patri fratri, qui te ex itinere conventurus fuerat aliquid & ad te mittere: opportunèq. Lepusculum alueram, educaveramque ablatum à parvulo, neque non Vulpeculam, & ipsam cicurem, nec nostri generis Felem, sed Ægyptiacam, diversumq. à nostris Murem, eum autem ob novitatem Ponticis forte ipsi